

MELCHIORIS BRELERI

Philosophia Magistri, & P. C.

Polyglottophili

SCHEDIAS-

MATVM IVVENI-

LIVM

Manipulus unus.

Ad Dominum


JANVM CHRISTOPHORVM

GRÆTERVM

Amicum Meum Magnum,

&

Ex Recentioribus Sinceriores.



ALTORFII

Apud Cunradum Agricola.

M D C X I

AMICORVM OPTIME, OPTIMORVM AMICISSIME.

NOta est illa Poëtæ cuiusdam Flori apud Spartianum
vita Adriani jocularis & mollicula cantilena.

*Ego nolo Casar esse,
Equitare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.*

Nota quoq; Imperatoris salsa & faceta responsio:

*Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Culices pati rotundos.*

Mihi si quis proletarius ac ex aulularia effigiatus argilla Mo-
mus seu frugis-perda occinat:

*Nolo poëta haberi,
Vatesq; nominari,
Aut versibus vacare.*

Erit confestim in mentem, quod regeram.

*Nolo balatro haberi,
Fungusq; nominari,
Aut naniis vacare.*

Conatus sum enim id ipsum scripto hoc meo, ut non Poë-
tico, Musæo certe, ostendere. Quod ut ad te etiam potissi-
mum inuiseretur, fecit amor & adfectus meus verè Magnus
in te amicum meum Magnum. Vale.



M. B.



DRAMA QVATVOR HVMANARVM ÆTATVM.

PVERITIA.



Vam bene gyrato se fuso turbinat isthæc
Aetas nostro modò? q̄ molli è vellere filum hoc
Extractum infantile levem glomeratur in orbè?
Quam placide currunt anni? quam suaviter albis
Hora fugit pedibus, melioreq; truditur hora?
Cum neq; secretas exsugens lenta medullas
Carnificina animi me sollicitudo flagellat
Verberibus sùrdis, semperq; superstitè morfu.
Sed veluti in riguo qui flos enascitur hortò,
Et vernam picturat humum telluris ocellus,
Mane caput tenerum nocturno rore gravatus
Exuitur calicè, in primæque crepuscula noctis
Vernat, & Hiblæam pascit melligine pubem;
Pubem operatricem & magnæ miracula matris;
Sic ego curarum expertes emetior annos
Cunctaq; magnorum genibus permitto Deorum,
Divorum atq; hominum simul illibata voluptas,
Et dubitem hoc quod ago reliquis ætatibus ævum
Curribus & rapidis citus anterulisse quadrigis?
Credo equidem, atq; adeo hoc etiam ore ediffero; Nulla
Aut mage chara Deo, aut homini est magis utilis atas,
Quam nostra hæc niveo velata Infantia panno.
Hoc ego, quantum vis rigido sub iudice certes,
Afferere, & solidis ausim contendere verbis.
Ecquid enim memorem ut mundo sub nocte sepulto
Cimmeria, quando vetiti fatalia pomi
Impia luxistis clauso mala seculo cælo;
Quando exempta jugo, & validis exuta catenis
Tisiphone umbrarum eluctata abs sedibus imis

A 2

Vectabat

Vectabat densas in stagna Acherusia prædas;
 Illaq; iam gentes pestis vulgata per omneis
 Nil profecturas ridebat Pæonis artes;
 Quinempè id memorem, tunc ut miseratus acerbam
 Humani hanc generis sortem DEVS, ille DEVS fons
 Principiumq; boni, cello delapsus Olympo,
 Et mortale sibi spoliū exuviasq; coaptans,
 Induerit puerum, & pueri sub ichemate cunis
 Luserit, ac balbas vagitu impleverit auras?
 Adde quod, ut teneris maius deus adderet annis,
 Vtq; suos puerili ævo cumularer honores,
 Bis senas tolerans hyemes, ad legis avitæ
 Præscriptum & normam, Solimæam ascenderit urbem.
 Immixtusq; globo Doctorum, Doctor & ipse,
 Incluta magnorum referant carmina vatū.
 Pandideritq; sui divina oracula patris,
 Interpres genuinus & idem proximus autor?
 Scilicet hæc nostræ decora immortalia gentis
 Extabunt, seros & posteritatis ad annos
 Vivæ insculpta cedro transibunt nescia fati.
 Iam quæ vel sincera magis, vel sanctior ætas
 Humano obtigerit generi? Dum nempe senectam
 Divitiæ exercent positiq; in foenore nummi;
 Quiq; indefessis pernox & perdius alis
 Corda catenatis lentè emorientia curis,
 Et fractos ægrosq; animos circumvolat angor,
 Dumq; togata & firma ætas; vel turgida fastu
 Iam partos propter titulos & ludicra laudum
 Syrmata, maiorem si fors offenderit, atrum
 Continuò livet cæcoq; in pectore stellat;
 Vel si fortè parem aut etiam quandoq; minorem
 Inveniat, tum ranarum de more tumescens
 Inflat gemitas buccas, & lumine torvus
 Limo utrimq;, ampullatur; Prætoria iactans
 Verba, Tribunitio vel quæ sint congrua fastu,

Emendi.

Emendicatis se mango coloribus ornat;
 Iam quid te memorem fatuam & rationis egentem;
 Cui comes est error gravis, Ignorantia præcep
 Auspex, cui manudux Lascivia surda, Iuventam?
 Quæ tam dissimilis tibi met, tam dispar er & exlex,
 Vertumno proprium statuisse videre sacellum:
 Iam suscepta semel damnans, damnataq; rursum
 Suscipiens; quavis bellè variabilis hora.
 Quæ postquam vitulata ditu & juvenata fuisti,
 Terga tibi duro scindit Metanæa flagello.
 Ast ego nec curis excarnificatus acerbis,
 Fronte hilarâ innubiq; supercilio, satur intra
 Me maneo, & fatuis nunquam me macero votis:
 Ad nullas grassatus opes, grassatus honores.
 Iam dum sæpe viri & iuvenum temeraria classis
 In turmas distincta suas; certisq; locata
 Sub signis, spes agricolæ & vota irrita ferro
 Et flamma metit, in fontumq; in prædia sævo
 Grassatur lymphata Deo; Argillacea nobis
 Pergamæcæmento graphicè ædificantur inempto.
 Nunc juvat exiguos plostello adjungere mures,
 Nunc totas acies numerosâ educere pompa
 In campum; quænis Martemq; laceffere telis.
 Quod si ist hæc inter Samia prandere patella
 Aut caules darur; aut pultem de flore farinæ,
 Tunc neq; cum lauto cupiam cænare Tonante,
 Nec quæ nectareo curantur Numina mulso.

IUVENTVS.

PApæ! tam doctè quisquam mihi vagiat infans,
 Pugnet Achilleis & in hostem Martius hastis;
 Et nec dum Tyrio incedat spectabilis ostro,
 Integra de extrema comedatq; tragemata mensa?
 Quod si olim teneram juglandem, ac mitia poma
 Et iam maturis lectam de vitibus uyam,

Fas erat

Fas erat ante aras tibi deposuisse Priape,
Ob custoditi fœcunda novalia campi,
Vel magè ob Autolycos pullos & inertia furum
Agmina; crede mihi puerorum exercitus omnis
Admittet ve grande nefas ferulaq; piandum;
Si tibi vel fœtis raptos à matribus hædos
Ad lusum; vel si metam tibi lactis, ad esum,
Nequaquam parcam tenuemve adferre morantur,
Quod te defensore suas pueritia laudes
Servat adhuc, nec læsa illi sua gloria constat.
Nos verò digni Anticyras sorbere meracas,
Infelix, fatua, agnatis sistenda Iuventus,
Sarcinulis lectis Gyaras migremus, & istum
Ponè relinquamus Divis infantibus orbem.
Scilicet his rerum summas nos credere, jura
Tradere, & eximios fas est submittere fasces:
Consiliis, qui egressi annos sapientibus, ipsos
Ore gerunt Dictatores sanctosq; Catones,
Nos vero mediastina fœx infima generis,
Cappadocum atq; Syrorum his ancillabimur instar.
Ipius ego extrema classis Scoparius ibo,
Aut vetulam Domino puero præbebo matellam.
Scilicet hoc strigilem præfractam, hoc sordida scruta,
Mucosam soleam & rurpem est laudare lacernam,
Quam neq; prima suam cupiat pila esse Suburræ,
Et non te mirer dum sequipedalia verba,
Et Periclæa gravi jacularis fulmina dextra,
Irati horrendos tonitrus imitatus Olympi?
Nimirum nisi ego hanc tibi detraho puto larvam,
Hæc; tuas nihili voces, mediaq; proleucha
Emendicatas ampullas differo flatu.
Non plus uno, istum digitum tibi porrigo victus.
Nam quod te dignum gemina Iovis aure locutum
Tunc rebare aliquid, quando illa crepundia, pupas,
Sordidaq; obscuro surgentia Pergama limo,

Et mures

Et mures opicos, & post hos prælia querna
Iactabas; Id tu ferulam meruisse negabis?
Si præceptori narrasset anilia surdo
Hæc aliquis risum venatus, nonne petulcam
Huic nugatori debebat betula pellem
Picturare, rubris tergum & variare figuris?
Sed quoniam nostris ingesta hæc auribus, æquo
Iam stomacho concocta chilum fecere, licebit
Ire modo, & venia me condonante fruisi.
Tu verò magno proles dilecta Tonanri,
Digna parente tuo, & genere isto digna, Iuventus;
Flos hominum, humani lepidum ver temporis, ævi
Mortalis ros, & vitæ fugientis ocellus,
Tam semper reliquis ætatibus anteis una,
Quam frontem candente peplo redimita decoram,
Pone satellitium facularum immane sequentum
Exuperat niveis investa Diana juvencis.
Quam Venus, alma Venus pennatorum agmina Fratrum,
Ac pharetratorum cuneos præcellit Amorum,
Et tua Idumæa cumulare altaria messe
Igne serenata & puris lucentia flammis
Cuncter adhuc, segni gravis immoriarq; veterno?
Hæc frons, iste cabronarum margo aureus, illud
Os, hæc Pæstanis certantia labra rosetis,
Clam me expirabunt iucundæ ignara Iuventæ?
Non faciam, nisi me generosi pectoris ardor,
Et fermentatæ fallit præsentia mentis,
Ecquid enim à superis possimve ausimve precari,
Ignea vis animi, vegetæq; in corpore vires
Quod præstare, raturmq; negent fecisse volenti?
Si libeat femori gladium religare nirentem,
Aurea gemmatis lucebunt cingula bullis,
Pallantemq; nigris rediisse Evandrium ab umbris,
Ad coeli convexa vel ipse dixerit hostis.
Si libet in campo Oebalia certare palæstra,

4

Attridas

At ridas remeasse putes, juresq; refractis
 Tænariis portis superas venisse sub auras,
 Quidquid quinquenni mirata est Græcia ludo.
 Si libeat cursu ad longam contendere metam,
 Carceribus citus effugiam, velut æquor apertum
 Percurrit Notus Aeolio eluctatus ab antro.
 Credas juratos proficisci ad prælia ventos,
 Discordesq; ferum Martem inter fervere Fratres.
 Quod si post isthæc certamina, ludicra quæris:
 Nunc juvat in campum pictos educere Reges,
 Atq; coloratis acies committere signis.
 Nunc pugnae specie mutata, oculata fritilli
 Alea multiplici variat discrimina lapsu.
 Nec leviter certatur, amat victoria curam.
 Quod si ita vincens non unica symbola daret,
 Et redeat Domino positus cum foenore nummus,
 Tum vero aceramor laudum atq; industria præsens
 Mirificum ex insidio victori inducit acumen.
 Quam tunc nutantem dubio in discrimine lulum
 Arte suum fecisse juvat? quam tum afficit, ima
 Margine si quandoq; hærens, curâ atq; sagaci
 Emergas studio in primam dextro alite classem?
 Quam recreat si, cui placidis Victoria pennis
 Ad labra arrisit, tuus ad versarius orbas
 Spes miser incuset, frustrataq; gaudia culpet?
 Tuq; immaturos Sarcasmo explodere plautus
 Composito incipias victorq; hostisq; duello?
 Non ita post Thracas, post Sauromatasq; subactos
 Mavors victor ovat, cum castris exiit hostem,
 Et debellata statuit de gente trophæum,
 Barbarico spolio exuviisq; indutus opimis.
 Tale quid aut meus hic Infantum Antistitor, aut qui
 Ætatem iactat mediam & Censoria jura
 Arrogat ipse sibi, ad iucundum possidet usum?
 Namq; illam exanguem marcescentemq; senectam

Vix

Vix libet ad numerum nostramq; reducere classem.
 Quam Plutus sacer & furiosa Pecunia circum
 Carnifices longo disponunt agmine curas:
 Quæ sibi congestos auri pallentis acervos
 Invidet, ac veluti sacris misera abstinet, olim
 Defæcatorum ventrem expletura Nepotum:
 Cui mille angores unus profeminat angor,
 Sublimi forsân quem exclusit araneus ovo:
 Quæ gravis ipsa sibi, sociisq; molestior horret
 Quem sequitur: Nec iam vel de prænomine novit
 Cum quo præterita cænavit nocte sodalem.
 Salve ergo humanæ pulcherrima portio vitæ,
 Flos, Venus, & succus mortalium, amænus ævum
 Quo nullum datur in terris, aut gratior ætas.
 Salve curarum Nepenthes, Gratia quarta,
 Moerorum & Luctus Siren, Tu sola Iuventus
 Sincerae Fidei iucunda coagula præstas,
 Alcyoni angorum querulæq; simillima Prognos.
 Te propter viret omne nemus, te propter eandem,
 Eheu! quam inviti vitales linquimus auras!

AETAS MEDIASIVE VIRILIS.

Siquisquam Iuvenes porca cadent e piandos,
 Hactenus & multo nescivit egere veratro,
 Turgida cum exonerant nimio præcordia strichno,
 Ille mihi Ellebori & rationis egere videtur.
 Nam quis tam latè Anticyras absorberit omneis,
 Ut non his modis plures infundere possis?
 Scilicet in bellis usum si præstet eundem
 Vox pugnax, & verba fero prægnantia Marte,
 Quem præstare solet peltis testudo rotundis
 Nexilis, in fernè arato quæ tergore celat,
 Hectoreas animas & prodiga pectora vitæ:
 Vel quæ præduro munitur machina ferro,

Et valid

Et validè impacto quatit hostica mænia cornu;
Jam tua Roma foret, tibi se Carthago volenti
Dederet, indigenasq; Deos migrare juberet,
Debellata tibi nudas Numantia palmas
Porrigeret, ferretq; tuo vexilla triumpho,
Devictas Aquilas, & nil immane tuentes
Amplius, ac clauso pacatos ore Dracones.
Sed quoniam junctis ubi concaluere manipulis
Corda virum & sæva Mavors exæstuat ira,
Non verbis opus est, valido sed pectore, quiq;
Æratas acies generosa mole fatigent,
Hosticaq; Herculeis impellant agmina nervis,
Suffecturi orbi æthereo, si cælifer Atlas
Incipiat fessis humeris nutare, lacerti;
Vos ego (si nec dum fatuæ cum rheumate frontis
Cuncta mihi stolidæ influxit Prudentia lenæ)
Cum insula verborum ista stribligine, cunctos
Ad fufum & pressum jubeam migrare quasillum,
Ecquid enim, ruptis cum debacchatur habenis
Impietas victrix, & duro libera collo
Barbarico fastu sacras pessundare leges
Nititur, & toto virtutem excludere mundo;
Nonne viros tum bella vocant? pueriq; senesq;
Et nimis in trepidis rebus confusa Juventus
Tunc extra limen nunquam prodire jubentur.
Ergo aut supplicii Divorum exposcere pacem
Ad sana imbellesq; sacras mittuntur ad aras:
Vel quas insperata novo mutatio vultu
Ceritas veluti implevit terrore maritas
Solantur doctis factisq; ad talia verbis.
At nos interea arata sub casside cœli
Longam intemperiem tolerantès, ardua sævo
Pectora pro vobis generosi opponimus hosti.
Quod si etiam addendum est geminas tibi fortiter aures
Quod radat, magno edicam attestante Propheta

Ipsiúsq;

Ipsiúsq; Dei secreto interprete Mose,
Principio, cum jam melior digestaq; moles
Et vacuus vacuo penderet in aëre mundus,
Immensorum operum Deus admirabilis author
Terrenam effigians cælesti pollice massam,
Non puerum, effœrumve senem, juvenemve creavit,
Sed constantem ætate virum, limoq; sequaci
Educta ante alias facies processit Adami,
Quod si ulla humanæ extollenda est portio vitæ,
Aut si quæ in terris potis est reperirier ætas
Digna homine, & laudes in se quæ abforbeat omnes,
Illa virilis erit virtutis mater & alitrix,

SENECTVS.

Silicet æternum hoc nobis Cacoethes inhæret
Hoc morosa animo insævitq; *Φιλώβια* nostro,
Quilibet vt proprias laudes ebuccinet, omnes
Præ se aspernatus tumidi de more Thraonis.
Hoc etiam primo nec dum loqi ære puelli
Infantesq; sciunt, qui si cum compare certent
Fortè suo, geminis certatim attollere palmis
Pro se quisque suas pupas & ludicra gaudet;
Gestit & in summum vectare crepundia cœlum.
Cum interea alterius semper sordere supellex
Dicitur, & pretii quanti est *fluviatilis* alga,
Hinc Eris & verulis coram obstetricibus illa
Ætates inter lis disceptanda profecta est.
Quod si etiam ad Lydum res sit revocanda lapillum,
Dicam equidem pueros, & quæ illos excipit ætas
Ipsa sibi nimium indulgens plerumque juvenus,
Ævi omneis tædere sui: Et quem suggerit usum
Quæ cum maturis prudentia canuit annis
Ætati implorare suæ, Sic deniq; in orbem
Itur, & in nullo contenti vivimus ævo.
Hæc q; adeo ratio est ratione carere, nec illam

Cum

Cum de cuit iuxta legem usurpare decori,
 Hinc pueri imbelles & vix modo sensibus aucti,
 Prima quibus necdum coepit decrescere vestis,
 Virgatis sagulis vestiri, habituq; virili
 Et picturata juvenari sindone mallent.
 Hinc juvenes ficta interdum gravitate virili
 Hoc eminentis sectantur moribus, unde
 Se jactare solet media & constantior ætas,
 Ecquid porro viros memorem, quibus unicus ille
 Ad solidæ laudis restare videtur acervum
 Explendum grumus, quod necdum conspuit atrum
 Illis parca caput niveis sapientia canis?
 Nos vero, quibus extinctas in corpore vires,
 Et præfocatos acciso robore nervos
 Vos juvenes fatuo nequidquam edicitis ore,
 Longè aliis, imò multo melioribus aucti
 Dotibus, haud equidem vestra illa athletica membra,
 Et qui vel pugiles possint decuisse lacertos
 Discupimus, Nam quod Natura tenore negavit
 Cana lagaxq; suo, id nobis matura rependunt
 Consilia atq; usu docta experientia longo,
 Vos vero, quibus in juvenili corpore sanguen-
 Bullit adhuc, calidæq; vegent à robore vires,
 Præcipiti rotat infelix Audacia lapsu,
 Hinc quod sæpe hodie fecistis præcoce ducti
 Consilio, cras infectum velletis haberi.
 Nos si quid facimus, rationum pondera primum
 Sumimus, ad doctum & rem rotam expendimus unguem,
 Iam quod vos vina & convivium Græca subinde
 In quartum protracta diem noctemve crepatis,
 Scilicet hoc Lapithas, hoc est laudare Lupercos,
 Et quæ thyrsigeras Bacchi gyrauntur ad aras
 Infames vetulas ambubajasq; protervas,
 Non homines frugi, argilla aut meliore creatos.



VERNA APVVM PABVLATIO

Jambis scripta

Ad

Ornatiss. Dominum

GEORGIVM WEISMANNVM L.L. Sr.

Ubi poetas filios, & illa Mercurialium festivitatem *Homerus*
 rum penaria, ad mellipararum archetypon a-
 pum præpotens ac mille-artifex effigiavit natura
Floriferis ut apes in saltibus omnia libant, Lucretius
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta;
Aurea perpetuâ semper dignissima vita.

Nos

Dum per vireta musinamur Ausonum Ianus
Deprompturi aliquid facundo è pectore in ora Kottericius,
Virum, è metallo quævis Prometheus inclutus
Argento contra caro, præcordia finxit,
Instarq; spiramenti anima asper sit salem.
 In illud etiam Naturæ literatæ compendium CL. Danie-

B

lem

Iem Heinſium delabimur. Excipimus quas ille lachrymas
 Libitinæ Buſtuariæ pro obitu conjugis Baudianæ impende-
 rat. Sumitur enim venuſtate animus, & illico in eum oculos &
 animum detorqueo. Serit blanditias, invadit ſpiritum. Amori
 profundi pedicis æternum alligat. Sic deinde attonitus, imò ve-
 ro cruciabili deſiderio ſtupidus, ex vno illo Poëmatio ipſe mi-
 hi ſomnia mira, florida, lepidaper corneam introduco por-
 tam. Quæ ſatis ſcio impleſſet aliquis bonus Deus, niſi ſemel
 modo inſpecto libro, Poëticos illos hauſtus jam depleſſe co-
 egiſſet amicus.

*Petroni-
 us Arb.* Nocte ſoporifera veluti cum ſomnia ludunt
 Errantes oculos, effoſſaq; protulit aurum
 In lucem tellus, verſat manus improba furtum,
 Theſaurosq; rapit, ſudor quoq; proluit ora,
 Et mentem timor altus habet, ne forte gravatū
 Excutiat gremium ſecreti conſcius auri.
 Mox ubi fugerunt eluſam gaudia mentem,
 Veraq; forma redit, animus q; perdidit optat,
 Atq; in præterita ſe totus imagine verſat.

Quare quod adfectus tunc imitandi concepit, id calor &
 pruritus quidam in hanc modo chartam expreſſit. Ita ex
 admiratore & amatore factus ſimia, id ſaltem præ me fero,
 Vacuæ facere noluiſſe; ſed per exaggeratæ virtutis fanum
 properaſſe ad Honoris delubrum. Si erravi, & ob lapides
 pedem impegi, ignoſce. Nam ego mihi ipſi punctò; quod

*Petroni-
 us.* ——— inops audacia tuta eſt. Vale.

M. B.

Verna Apum Pabulatio.



Idesne ut illum florifugam exercitum,
 Heræq; ſolertiſſimas pedisſequas
 Naturæ, Amafiasq; Veris roſcidi,
 Favoniiq; muginantis pellices,

Apes in apricum evocarit virgines
 Sol, qui colorat florulentâ purpurâ
 Jam rore Maturæ inebriatès hortulos?
 Purasq; fulguratori* deſpuens polo
 Faces, ſerenat vniverſi iſt hanc domum?
 Lychnoq; ſuspendens diem volubili,
 Variis ſolum figurat Emblematis?
 Videsne ſtreperus ille uti pubis globus
 Prætorianum hoc occupavit oſtium?
 Qui cum ſuos diviſus inde in manipulos
 Per illud anticum gregatim eruperit,
 Hæc culta picturata flore muſteo
 Ad ultimum uſq; pauperabit corehorum.
 Lateq; ſuccreſcentis huius neſtaris
 Sitor immanis, avidè & promiſcue
 Deplebit hauſtus univerſos, prædigè
 Quos proma condaq; ei propinavit parens,
 Sed ecce guttulis tener ſtillantibus
 Imbrem liqueſcit in tepentem Iupiter.
 Obnubtus hoc ut callidè velamine
 Sux capaci conjugis gremio impluat.
 Vnde illa ita imprægnata mox fiat parens,
 Veriq; parturiat novo nepotulos
 Flores, roſasq; virgines neptes ſimal.

* Vide Clau.

Ecce ut modo ille prodromus, vel ſi hoc placet
 Mage, ſpeculator tinnula alarum fuga
 Elabſus ante, jamq; complurus love

Itiner suam versus resumat regiam.
Ego incubanti cedo quæ licet Deo,
Illamq; subter arborem, quæ nexili
Auras capillitio flagellar garrulas:
Et fabulosos molliter Favonios
Foliis inerrantes ciet loquacula;
Pluvio hunc jocum invidebo cautior Iovi,
Hesternam ut illam pabulationem Apum
Huic Hamadryadi comatæ edifferam,
Quæ à me aëris proffigat hoc ludibrium.
Obnubra clarum argenteo peplo caput
Diana noctis & tenebrarum arbitra,
Stellas tribules ac decumanum exercitum
Gemmato ab axe post juvencos lacteos
In stabula præceps pertrahebat vitrea,
Quando sorori silvicultrici suæ,
Pectens serenam Phœbus à somno comam
Occurrit, aureumq; pulcer ei osculum
Fraterculantibus propinavit Jabris,
Ast interim hinc & indetelæ roscidæ
Furvæq; noctis depluebant lachrymæ,
Pellucidæ, crySTALLINÆ, bombycinæ,
In arva, in hortos, in viretaq; obvia:
Quæ cum sodalibus Hesperugo flammulis
Orbaverat decente fuppellestile.
Matura quando frigidis & inertibus
Thalamis relictis, summa crispans cærulea,
Bigis colorabat venuste splendidis,
Radiisq; describebat arva luteis,
Et jam rubente luce rebus paululum
Affusa, ab humidis equiso pascuis
Actos jugales currui aptabat suo:
Cum lacteis venustulisq; passibus
Horæ, potentis editæ Jovis satu,

Ferunt

Ferunt diurnum strenuè choragium,
Et purpurantibus rosis amiciunt
Currus, rotasq; lutea caltha implicant,
Conscendit, atq; fulgurantibus comis
Diem sereno ventilat Sol æthere,
Sol temperator aëris, Sol siderum
Antistitor, Vita, Vigor & Sanguis hominum,
Naturæ amabilis facer nutricius,
Argus Monophthalmus, Choragus ignium,
Aulpex laboris, Proxenos mortalium,
Persehsit incumbentem humus, moxq; invidæ
Furtum Dianæ, noctis atræq; spoliū,
Pictam resumit induitq; Synthesin,
Pigri jugati rore flores texili
Firmum resurgunt rursus in pedem, ac novo
Iultu remidentes diem & Solem imbibunt:
Lixanguibusq; redditam vitæ sibi
Calicibus hauriunt apertis masculam,
Quos animulæ juxta susurrantes strepunt,
Luditq; subsolanus inter spiritus.
Vt ergo facies reddita est humo sua,
Varièq; restituta sunt colora
Hortis serenatis vbiq; emblemata:
Quæ pigritata hæctenus & hybernata erat
In alvearis desidis tentorio,
Campum occupavit artifex mellis acies:
Atq; inter inoculata rura gemmulis
Viventibus, crescentibus, vegetibus,
Sortita commodum locum, castra posuit,
Illic odoratæ aurei veris animæ,
Ethesiæq; delicatæ mollibus
Verrunt stibellis florulenta pascua:
Comatulamq; circa floridemiam
Ludunt proterviuntq; leni sibilo.

Illis

Illic Acidalium trahens post se gregem,
 Inter pharetratos suos satellites,
 Interq; pennatum famulitium, Venus
 Inventa lacteis salax oloribus,
 Joca seminat, joca mellea atq; mustea,
 Joca omnibus satura beatitatibus,
 Zeugmata Leporum, & Gaudii Coagula,
 Huc, quando eburneam aut Pater Phœbus chelyn.
 Aut illius Senatus exornare vult:
 Laudes sonaturus comati Apollinis,
 Ut cum è jugo Python cadens Permessio,
 Silvamq; teforum trahens dorso horridam,
 Mortalitatæ sæculum exsolvit metu;
 Cum scirpeis migrare calathis vidimus
 Messëm in rosarum, & liliorum virginum
 Panegyricam sementem, ab Aganippes jugis.
 Quin ipsa Flora huc commearè dicitur
 Velata membra byssinâ modo nebulâ,
 Ventoq; tantum nubta corpus textili.
 Ut nunc verecundas manu carpens rosas,
 Nunc & amaranthos demetens digito levi
 Graphicam suo scirpet corollam vertici.
 Feruntur hic quandoq; & ipsa Gratia
 Blandis reclinatæ toris discumbere,
 Ducere choreas nexilesq; in gramine.
 Aurora certè luteas sui rotas
 Currus petitis hinc & inde flosculis
 Scite implicare novit atque dexterè,
 Quando rubentem jam axe detecto diem
 Sparsura, ceu præambulones luminis
 Majoris accensas faces jaculabitur,
 Vernâque collustrabit omnia orbita,
 Solum, salum, aëremque tingens purpurâ.
 Huc ergo honestâ hyberna deserens fugâ,

Tentori-

Tentoriisq; provolans è crateis;
 Mellipara primum legio militariter
 Profecta pabulatum, in obvios iit
 Præceps sâpores, & siticulosior
 Brumâ peractâ, decidit nimbi in modum.
 Non tam fugacibus per alta cærula,
 Alcyoniamq; Doridos malaciam,
 Impulsa pennis pinus Idæa vehitur.
 Quando alterum dexter pedem modo faciens
 In cornua antennisq; cecidit Æolus,
 Pars inde conglobata olentes purpuras
 Intacta libat horridis rosariis,
 Melliginemque fugit orè musteam:
 Pars vero bombilante vecta murmure
 Natat per auras, leniterq; deflue
 Serpilla prædatur, virentesq; caseas.
 Pars florulentam copiam thymbræ metit,
 Potansq; rostro Anthina mella succido
 Sensim virente inebriatur nectare:
 Quo Pasicompsa mater & mille artifex
 Cœlo recluso pingua arva perpluit,
 Hanc Corsicilubido devocat thymi
 Siccos ad haustus atq; inempta pocula.
 Illic per auras agmen obscurum trahit
 Pars furva tectas pendulâ & spissâ fugâ,
 Donec strepentibus per udum remigans
 Hinc inde pennis, eminus crystallinum
 Fontis liquorem argentei visu notat.
 Tunc illa dispescens globum, & sese explicans,
 Lentèq; deflue vitreas inquit aquulas,
 Potatur hic illicq; strenuè, vagæ
 Libantur urnæ, & vsque scaturientia
 Crystalla pitissantur à bibonibus
 Exilibus quidem, at frequentioribus,

Hæc

Hæc inde compotatio vt deferbuit,
Omnes gregatim bombilantq; & subvolant
Aestatis excitæ aureum ad spoliarium.
Quando repentinis gravatûm ab imbribus,
Interstrepens aura Æoliq; satrapæ,
Furva aërem ferruginant caligine.
Et jam tenebrosa pice undiq; obsirus
Fluebat hinc & inde guttulis,
Decumana quando subsecutura erat adhuc
Liquentis ætheris pigra resolutio;
Nisi ipse aër filias suas apes
Miseratus, Amphitrites astrigeræ graves
Erenasset, imbres incitaq; flumina,
Ergo notatæ guttulis lucentibus,
Madidæq; adhuc omnes recente à balneo,
Et frigidi thermis Jovis lotæ affatim:
Incisa vbi trunco solum tegit salix,
Spoliata crateo capillo frondium;
Vel vbi topi, aut saxa eminentiora erant,
Glomerant fugam, madentibusq; pinnulis,
Junonii roris resperæ lachrymis,
Scandunt, & ad Solem aureum alas remiges,
Tum pallida & ferruginosa cæcula
Iubare serenantem facis novæ, explicant.
Siccata ad assuetos migrant examine
Denso lares, & in beatas cellulas.
Vbi modo honestis se invicem laboribus
Ipsas fatigant, & recenter nectate
Hautto ebræ; mel musteum excudunt simul;
Mel rosidas cæli gementis lachrymas,
Mel auream astrorum salivam & ignium,
Mel aëris sudantis almum opificium.

F I N I S.